



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

25. An Cardinales possint praesentari ad beneficia iuris Patronatus? Et quid  
de Episcopis circa hoc? Ex p. 5. tr .2. res. 15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

RESOL. XXIII.

An electus ad Cardinalatum priora beneficia amittat? Ex part. 5. tr. 2. Ref. 11.

§. 1. Negativam sententiam docet Albanus de Cardinalibus, q. 22. privileg. 20. Laudensis de Cardin. p. 42. Lovichius in Thesaur. ver. Cardinalis, §. 7. Bertachin. de Episc. part. 1. lib. 2. q. 21. & Azorius part. 2. lib. 4. c. 3. q. 5. quorum tamen resolutionem intelligit in beneficiis inferioribus non curatis, nec habentibus dignitatem P. ureus decis. 438. alias 428. lib. 2. Sed hac de re extat Consistoriale Decretum incip. Sanctissimus, sub die 16. Martij 1588. inter Constit. Sixti V. 79. in Bullario novo, tom. 2. pag. 627. in quo sic habetur. Sanctissimus Dominus N. Papa Sixtus V. decrevit, quod per promotionem ad Cardinalatum vacant omnes Ecclesie, & omnia beneficia cuiuscumque nominis, & tituli sint, nisi fuerit data retentio, quae concessa intelligatur & data ad Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, ad Monasteria etiam commendata, ad Prioratus, & ad caetera omnia beneficia, quae videntur convenire dignitati Cardinalatus. Ad alia vero quae videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalatus, puta Archiepiscopatus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & similia beneficia non extendantur, cum obtinentes huiusmodi beneficia teneantur residere in choro, & habere debeant locum post Episcopum Cardinalis dignitati non convenientem. Vide Parisium de resign. benef. lib. 3. q. 1. n. 66.

RESOL. XXIV.

An Cardinales solvantur legibus, qua prohibent duo, aut plura beneficia simul habere, ut patet in cap. De multa. & Extravag. de Praebendis? Et an Cardinales habeant privilegium, quod beneficia suorum familiarium non possint conferri iper Papam sine consensu Cardinalis Patroni? Et an pari ratione Cardinalis Legatus quaecumque amplissimam potestatem habens conferendi beneficia, non possit conferre vacantia per obitum familiaris Papae vel Cardinalis? Ex part. 5. tr. 2. Ref. 41.

§. 1. Negativam sententiam docet Abb. in cap. bona memoria, de postulat. in cap. ex gestis, de Cler. non resident. & in cap. Ecclesia vestra, de elect. cum multis aliis. Sed affirmativam sententiam docet Hostiensis in cap. Ecclesia vestra, de electione, & alij quos citat & sequitur Barbatia de Cardinal. quest. 12. num. 6. cui adde Hieronymum Manfred. de Cardinal. decis. 208. & Martinum Laudensem de Cardinal. q. 42. & ratio est, quia regimini Ecclesiae universalis inuigilant, & consequenter cuicumque particulari Ecclesiae dicuntur deseruire. Secundò Cardinales, ut supra dictum est ex cap. felicis de penis in 6. sunt pars corporis Papae: ergo iura prohibentia aliquem habere duas dignitates, non comprehendunt Cardinales: consuevit enim Papa in constitutione sua, quando vult comprehendere Cardinales, facere expressam mentionem de illis Venerandis Patribus, cap. 1. de scismat. lib. 6. Tertio facit. Ad eum casum non adaptatur constitutio, ad quem casum non adaptantur verba sua, I. quod constitutum, ff. de testament. milit. cap. indeminutibus, §. sed cum eas, de elect. lib. 6. cum similibus. Sed verba cap. de multa, de praeb. & dicti cap. dubium, & illius Extravagant. Execrabilis, non adaptantur ad Cardinales: ergo non habent locum in Tom. IX.

eis, per supradicta, ergo minimè debemus extendere illa iura ad Cardinales. I. nominis & rei, §. verbum ex legibus ff. de verb. signif. l. si servus, §. non dixit Praetor, ff. de acquir. hered.

2. Sed si quis stare velit in prima opinione, dicendum est cum Azorio tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 4. & aliis, quòd in Cardinalibus iusta subest causa, Romani Pontif. Indulgentiae ut ab huiusmodi legibus soluti plura Ecclesiastica beneficia consequantur: nam, ut habetur in Extravagant. Execrabilis, de praeb. inter Extravagantes Ioan. XXII. Cardinalibus conceditur, ut plura beneficia simul habeant. Item, in cap. multa, de praeb. dicitur iusta causa est ad plura beneficia possidenda si quis sit doctrina, fama, industria, & prudentia clarus, cuius opera & diligentia maxime utilis esse credatur: Ecclesia enim talibus vitis indigere videtur, & ob id eis multa concedi posse constat, quae caeteris merito denegantur, insinuat lex in cap. cum ex eo, de elect. in 6. Nam idcirco egregiis, strenuisque militibus, & ducibus maiora stipendia & praemia tribuuntur, praesertim cum ob splendorem & excellentiam personarum à rigore legum recedi possent. I. ad bestias ff. de penis, & Cardinales honoris, amplitudinis, & dignitatis autoritate praesent: ergo, & c. Et hanc sententiam docet etiam Sebastianus Caesar de Eccles. Hierarch. part. 1. dist. 2. §. 5. num. 12. ubi docet Cardinales plura beneficia incompatibilia posse faciliè ex dispensatione obtinere.

3. Notandum est etiam hinc obiter, Cardinales habere privilegium, quòd beneficia suorum familiarium non possunt conferri per Papam sine consensu Cardinalis Patroni. Ita Aegidius Bellen. consil. 19. n. 2. vers. 5. ubi subdit quòd pari ratione Cardinalis Legatus quaecumque amplissimam potestatem habens conferendi beneficia non confert vacantia per obitum familiaris Papae, vel Cardinalis. Ita Cardinalis Tusch. tom. 1. lit. C. concl. 100. n. 42. & post illum Barbosa de iure Eccles. lib. 1. c. 4. n. 84.

RESOL. XXV.

An Cardinales possint presentari ad beneficia iuris patronatus? Et quid de Episcopis circa hoc? Ex part. 5. tractat. 2. Ref. 15.

§. 1. Respondeo quòd licet Episcopi non possint praesentari ad beneficia iuris patronatus, nisi prius habeant super hoc dispensationem, ut vult Abbas in c. Ecclesia vestra, de elect. n. 3. tamen Lambertinus p. 1. lib. 1. q. 7. art. 16. & Vivianus in praxi iuris patron. lib. 6. c. 10. n. 38. concludunt, Cardinales posse praesentari ad beneficia iuris patronatus.

RESOL. XXVI.

An Cardinales possint succedere in feudo? Et an in tali casu admittantur ad servendum per substitutum? Ex part. 5. tr. 2. Ref. 70.

§. 1. Negativam sententiam tenet Barbatia de Cardinal. quest. 4. num. 13. Intrigliolus de feudis cent. 2. art. 1. num. 161. & 162. Riminaldus iunior, lib. 3. consil. 527. num. 44. Masullus in addit. ad Cyprium, decis. 70. n. 5. Menochius lib. 3. consil. 202. n. 140. & lib. 2. consil. 181. n. 71. & alij penes ipsos, quia in iure Cardinales in materia feudorum non reperiuntur privilegiati.